

Reliqua compago ad motum aut firmitatem machinæ spectat: Illius brachium septentrionale lineæ meridionalis parallelum ductum ab oriente in occidente & longum 2. mensurarū nostrarū 20. partium circa crus fixum voluitur, in ea parte quæ distat à cuspidibus 2. m. 12. p. in hoc quadratè mouetur duo brachiola cruri parallela, in quarum medio mouetur regula quadrata oblonga, in cuius extremitate orientali centrum rotulae infixum est, voluitur enim rotula circa pyramidis latus vtrumque, ut cuspis mobilis (quæ in tertia à septentrione regula est) versus orientem admouetur & remouetur. Arcus vero instar arcus Turcici imponitur, ut manus una illi apposita, & altera cruri fixato, describatur figura quæ maior aut minor sit, ut pyramidì admouetur aut ab ea remouetur cuspis mobilis. Hoc autem notandum est, arcus mediū semper iungi brachiolo medio.

P R O P. IIII.

Circinus nouus superiori contrarius, utpote describendis figuris rectilineis aptus, ex ordine certarum pyramidum conuersarum quæ pro basi habent præcedentes figuræ planas & curuilineas.

Declaratio 4. figuræ.

Partes huius circini à partibus præcedentis aliquo modo differunt, et si in quibusdam conueniant inter se. Nam crus immobile simile habet & brachium septentrionale circa illud voluēs, utriusque autem circini compago eadem si esset & qualis in hoc, longè melius esset: nam tantum differre inter se pyramide debet. Illa autem tubulata, quæ in utraque perpendiculari regula sunt, (intra quæ duci & reduci possunt brachia ad admouendum & remouendum cuspidem mobilem) prosunt ad deprimendum & eleuandum eadem cuspidem, si non fuerint in plana superficie centrum & circumferentia. Experientia diligentem lectorem hoc docebit.

P R O P. V.

Circinus nouus & uniuersalis delineande uno ductu figure oualis cuius diameter longus vel breuis esse potest, quantumlibet productæ aut contractæ.

Declaratio 5. figuræ.

Quædam habet cum aliis communia hic circinus, nempe crus immobile & brachium superius volubile & duas illas regulas parallelas quæ à septentrione ad meridiem vergunt, nam reliqua illi sunt particularia. Illi enim est ad meridiem brachium superiori iam dicto & parallelum & simile, deinde sunt in crure fixo duo globuli quorum prior à cuspidibus distat 1. m. 7. p. alter ab eo 1. m. 2. p. circa quos voluuntur liberè duo plani orbes mediocri crassitudine, ut cochleæ pars interior apparens polsit ingredi in illius solidum, & vtrumque orbem pro arbitrio agentis constitueret. In medio utriusque orbis est cavitas ita elaborata ut pars inferior superiori sit latior, & dicitur formata instar caudæ hyrundinis in qua adaptetur tessella circulariter liberè se mouens circa crus fixum. Ex utraque tessella huius & illius orbis producuntur regulæ duæ similes & parallelæ, in quarum medio est cissura, in qua libere potest duci & reduci brachium medium in quo est cuspis mobilis, cuius in ea motus ad centrum vel crus immobile reprimitur opera illius tubulati in quo est cochlea ad ipsius motum retinendum: reliquum autem brachium est ad firmitatem machinæ. Iam si volubilia circa immobile ducantur ouale fiet, orbiculis ita dispositis ut pars una sit inferior, altera sublimior: nam tunc diametri in plano, in quo eleuatur ad angulos rectos crus immobile, sunt minores in parte eleuata & depressa, quod diligens explorator facile animaduertet.

P R O P. VI.

Circinus novus ut reliqui quoque inuentionis à nobis iam olim communicatus multis, ad describendū quamlibet lineam spiralem in plano circa funiculi circumflexionem aut aliam fallacem rationem.

Declaratio 6. figuræ.

Huius circini in meridi die est integra machina. Reliqua septentrionalia partes illius sunt, quælibet explicare. Pars rotunda longa & caua, quam placet dicere à similitudine bombardæ canonem, theca est in qua occidentem versus cuspis est circa quam voluitur circinus ad spiram describendam, proxima pars cochlea est, in cuius parte exteriore adhæret regula, in cuius fine occidentali cuspis est mobilis, reliquæ aliae quæ partes septentrionales sunt cochleæ interiores partes